

Dissertatio anatomico-physiologica inauguralis, de utero / [John Gibson].

Contributors

Gibson, John.

Publication/Creation

Leyden : G. Potvliet, 1744.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/yngmchk6>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO ANATOMICO-PHYSILOGICA
INAUGURALIS,

D E

U T E R O.

Q U A M,

ANNUENTE SUMMO NUMINE

Ex Auctoritate Magnisci Rectoris,

D. JOHANNIS VANDEN HONERT, T.H. FILII,

S. S. THEOLOGIÆ DOCTORIS, EJUSDEMQUE FACULTATIS, NEC NON
HISTOR. ECCLES. IN ACAD. LUGD. BAT. PROFESSORIS ORDINA-
RII, ECCLESIÆQUE LEIDENSIS PASTORIS:

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

& Nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis,
ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum Examini submittit

JOANNES GIBSON, Scoto Britannus.

Ad diem 25. Septembri 1744. horâ locoque solitis.


Iητεικὴ ἔχει γάρ, ἀ ἔχει, τοὺς ἀκολασίους, τοὺς βα-
ναυσίους, τοὺς ἀπληγίους, τοὺς θηθυμίους, τοὺς ἀφάρεσιν,
τοὺς ἀναιδείους ἐνιδεῖν. Hipp.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud GERARDUM POTVLIET, 1744:

ОДИССЕЙ

СКАЗКА О МАРСИАНСКОМ
ГИАНТЕ ТЯЖИОН И ЕГО СИЛЯХОЙ

ВОСТОЧНОЕ ПОСЛАНИЕ АСТАРДА
СКАЗКА О МАРСИАНСКОМ ГИАНТЕ ТЯЖИОН
И ЕГО СИЛЯХОЙ



PRO O E M I U M.



anta est fæminarum infelicitas , ut non solum corporis constitutione , morbis sexui nobiliori incognitis obnoxiae existant ; sed ex utero diversa , vehementiaque mala curatu difficultima nasci , experientia hodierna notum est , & a Medicinæ parente animadversum . Quamobrem de uteri pathologia (res difficilis , summae vero Medico futuro utilitatis) Thesin scribere decreveram : sed quis quæso partium structuræ , & actionum in sanitate illibata ignarus , unquam statum præternaturalem sive morbosum rite descripsit ? Hisce cogitationibus inductus , ut melius partium structuram , & præcipue vasorum distributionem intelligerem , maxima animi voluptate expectavi donec ex præparationibus Cl. præceptoris B. S. ALBINI vere innotescerent : sed eni mibi infortunium haud prævisum ! Vir Celeberrimus ob temporis angustiam ne ostenderet , impeditus est . Spe sic frustrata , partem Anatomicum omni qua potui brevitate , & quam verissime exarare conatus sum ; dein de mensibus & coitu quædam addidi ; verum ob temporis defectum pathologiam intactam relinquere coactus sum . Ex cognitis partium & humorum proprietatibus ratiocinatus sum , audacter & libere quæcunque verisimilia mihi videbantur , proponens ; quippe natura Theseos requirebat . Si quis vero tam iniquus mihi sit , ut putet , quod ex lascivientis phantasie pruritu delectum materiei hujus feci , misere

P R O O E M I U M.

sere deceptus est: occasionem fateor præbuit, praxis in aliquibus morbis mulierum parum feliciter cedens; licet secundum artis regulas, optimorumque Auctorum methodum exercita; ubi ex utero orta fuisse mala, symptomata satis probabant. Fortasse vero aliquis adhuc objicit, quod sati præpostere natus sum, morborum cognitionem ab Anatomia, & Physiologia petere; cum solum experientia, & observatione obtineri possit. Merito aliter sentiebat olim Fernelius, vir judicio & doctrina præstans; hisce verbis usus est. „Equidem nunquam ullum plane cognitum „penitusque perspectum morbum esse putaverim, nisi com- „pertum habeatur & quasi oculis cernatur, quæ in hu- „mano corpore sedes primario laboret, quis in ea sit affe- „fectus præter naturam, unde is processit, utrum in ea „sede genitus nata dicitur, an aliunde proiectus „nata communatur, an denique causa aliqua interior il- „lum foveat. „ huic assentiant viri per universam Euro- pam longe celeberrimi. Descriptionem rerum methodo tra- Etandi causas singulatum anteposui; in ea virum ingenio & industria præclarum secutus, cuius judicium in omnire rationi congruens, aliorum præponere æquum censui. Sermonis elegantiae & nitoris haud studui, non quod contemno, sed quia scribendo parum assuetus, humeros tali oneri omnino impares invenio: & aperte fateor, quod rerum scientia quam verborum semper pluris apud me fuit. Nihil nunc restat, nisi ut lectorem admonitum velim, quod dum fructuissimis prælectionibus sedulus adfui & alius rebus quæ ad praxin futuram spectant immersus, satis temporis non potui huic operi impendere, ut suo usui magis accommodatum esset; quam ob causam asua benignitate, culparum veniam expecto & rogo.

DIS-



DISSERTATIO ANATOMICO-PHYSIOLOGICA

I N A U G U R A L I S,

D E

U T E R O.

§. I.

Dhilologis nominum rationem relinquo ; ad rei intellectum sufficiet partiam situm paucis percurrere.

Vagina igitur canali continuo a pudendi labiis in uterum porrecta, intestinum rectum inter & vesicam urinariam locum obtinet ; ad ejus introitum a parte superiore, juncturam ossium pubis supra, clitoris suo præputio involutus situs est : a lateribus nymphæ ; intra quas exitus meatus urinarii , seu si magis placet , bulbus urethræ spatium occupat : & in virginibus , de quibus nunc loquor , hymen ad hunc pertingit ; sed quo magis ascendit , eo magis extenuatur , ut potius crescentem lunam quam annulum circu-

6 DISSERTATIO ANATOMICO-PHYSIOLOGICA

larem referre videatur: ad partem inferiorem carunculæ myrtiformes (non obstante hymenis integritate) fere semper inveniuntur; & has ni fallor observavit, licet alio sub nomine descripsit Accuratissimus Morg ubi dixit, „in virginum dissectione præter nymphas superiores quæ mediocres erant, ter vi-„di in imis pudendi lateribus duas alias parvas quasi nymphas „protuberare.“ Post nymphas corpus circulare spongiosum circumpositum est; & huic accumbit tenuis musculus, sphincter vaginæ dictus. Parti supremæ vaginæ proxima & continua est uteri cervix, hacque superior fundus, cuius ad latera tubæ Fallopianæ, & ovaria.

§. II. His nunc breviter de situ partium propositis, de vasis dicere animus est; utpote & ad structuram partium, & ad usum rite intelligendum maxime necessarium. At summa hujus rei difficultas penitus me absterreret, nisi quod laborem haud mihi infructuosum fore sentio; & si conatus laudem non invenerit, saltem, spero, apud æquiores rerum judices veniam impetrabit.

Vasa spermatica sunt arteriæ duæ, venæque pares, in utroque latere vena, & arteria. Arteriæ licet plerumque a trunco descendantis aortæ infra emulgentes orientantur, tamen non secus atque in aliis partibus, varium saepe naturæ opus observatur: angulum maxime acutum parte inferiore aortæ, obtusum superiore formant: ab ortu paulum progressæ arteriolas adiposas dictas ad communem rhenum membranam emitunt; dein peritonei laminas inter, a parte ureterum anteriore, per omnem cursum partibus vicinis ramulos exiles, pinguedinis secretioni destinatos dant; donec ad ligamenta lata uteri usque perveniant: ibi earum est triplex distributio, ad ovaria, tubas Fallopianas, & uterum: certe una quæque harum particulari indagine digna est; itaque quantum virium tenuitas, tempus, & instituti natura permittunt, præmissa semper fabrica, ab ovariis incipiens paucis explicabo.

III. Ovaria ligamentis teretibus angulis uteri superioribus connectuntur: magnitudo pro ætatum & temperamentorum diversitate, varia est; figura semiovalis fere; in pubescentibus, & in

in ætatis flore constitutis, pondus ad sesquidrachmam statuie de Graafius. Præter membranam externam albam, validam, a peritoneo ortam, ex substantia membranacea, fibrosa reticulata, seu cellulari propria, ovis, eorumque receptaculis constant. Rami nunc qui ad ovaria pertingunt, in decursu infinite fere divisi, recto itinere, vel saltē non admodum flexuoso, per totam eorum substantiam, capillorum modo producti, variis modis diversis in locis terminantur; qui ad superficiem externam, ostiolis patentibus, liquidum tenuissimum exhalant: alii humorem blandum, parum viscidum, in ovorum sinus depo-nunt; in quo ova natantia, ne concrescant cum partibus internis sinuum impediuntur: proximi his sunt rami quamplurimi, qui per ovorum petiolas propagati, perque eorum membranas distributi, post copiosam divaricationem evanescunt; nutritionem, & incrementum ad maturitatem promovent. Cæteri vel cellulas liquore blando oleoso irrigant aut replent, nutritioni substantiæ inserviunt, aut in venas vel ^a. Vasa lymphatica abeunt. Ova maturitatem adepta, marcescentibus petiolis, libere in humore sinuum fluctuant, figura minus rotunda præ-dita; sicut indefessus naturæ Indagator Swammerdamius obser-vavit: ab eo dissentient Clar. Steno & Eximius Ruischius, qui ova esse rotunda asseverant. Swammerdamius fortasse præparan-do figuram aliquantum mutaverat. Sinuum humor, in quo ova ejusdem omnino coloris, velut crassiusculum lactis serum albus est, testante eximio Anatomes Restauratore Vesalio: nam observationes quæ apud Auctores de corporibus luteis, prasinis &c. habentur, ad pathologiam pertinent. Sed præter hos a-spermaticis, ramos duos vel tres ab Hypogastricis, & per tunicam & per substantiam eodem modo distributos, accipiunt. Venæ, sive distributionem, numerum, aut capacitatem respicias, vix ab arteriis discrepant.

§. IV. Tubæ Fallopianæ graciles & angustæ admodum oriuntur membranaceæ albæ ab angulis uteri superioribus, cumque parum recesserint ab iis, latiores sensim redduntur, &

ca

^a Nuck. fig. 32.

8 DISSERTATIO ANATOMICO-PHYSIOLOGICA

capreolorum modo crispant se , donec veniunt prope finem ; tunc in extremas fimbriatas carneas , laceris concidentibus , abeunt. Tunica externa peritonei propago est , nec ab ea quæ ovaria investit diversa : cellularis substantia multa , subtilis , laxa , in quam lympha perpetuo stillans , cæteras partes simul connectit ; quæ sunt fibræ musculares spirales , (vel obliquè circulares Clar. Winfl.) longitudinales in laceris maxime conspicuæ , & in corporibus robustis , & sanguineis , post mortem colore rubro præditæ . Fasciculus fibrarum ortus a parte tubæ suprema , & ovario proxima , ad radices Fimbriarum , in summa margine ligamenti lati ad ovarium usque decurrit ; ubi tunica ejus inseritur ; nomine adductoris Tubæ insignire fortasse haud absurdum esset. Interna tunica est lævis , quasi glandulosa , non valvulosa , nec cellulosa , sed fissuris quibusdam longitudinalibus aliquo modo inæqualis : in cavis humor ab arteriis secretus , speciem muci referens , in cadaveribus semper reperitur , (teste Riolano patre) colore , & spissitudine , semini virili non dissimilis ; & Fallopius summus Anatomicus testatur se saepius semen exquisitissimum in iis reperiisse . Nunc de altera arteriarum spermaticarum distributione ; quam ad tubas pertinere antea dixi . Cito in ramos abeunt ; hique sensim ramosiores , subtiliores , & angustiores facti , eodem modo per tubas , quo arteriae mesentericæ in intestinis distribuuntur ; neque venis mesentericis respuunt tubarum venæ comparationem : adeat Lector Clar. Heit. Comp. Anat. T. III. F. 11. Ad uteri structuram nunc perventum est ; dat hac in re exercitatissimos Anatomicos parum profecisse intelligit , qui in libris eorum legendis versatus est ; nec mirum , cum Malpighius industria & judicio paucis secundus , ingenue fateatur , ita implicitas esse ejus componentes particulas , ut nulla fere arte distingui possint : tamen quantum instituto meo sufficit breviter dicam.

§. V. Uterus latitudine duos digitos parum excedit , & longitudine trium fere digitorum latitudinem æquat ; facies anterior & posterior planiores sunt , internæque superficies his respondentes , contiguæ sunt : substantia crassa firma est , exter-

na membrana peritonei obducta, quæ ope cellularis substantiæ, multis fibris muscularibus retis instar dispositis connectitur; hæ fibræ una cum aliis nullo regulari ordine per totam substantiam disseminatis, partem ejus majorem constituunt; (vasis exceptis de quibus postea) interne notatu digna est harum in uteri fundo fibrarum dispositio circularis: carneas inter fibras, membranæ molles, flexilesque copiosæ extenduntur, & has per membranas sinus plures, qui sunt diverticula venarum, invicem communicantes, æque & in fundo, & cervice reperiuntur: cavitas ejus angusta, formam habens (si bifariam per latera secundum longitudinem secatur) quæ triangulum quodammodo refert, sicut vere exhibuit (at fæminæ quæ pepererat) Eustachius Anatomicus integerrimus Tab. XIV. F. III. & IV. summa hujus, vel ad minimum plusquam totius dimidium, membrana lævi, polita, plurimis foraminulis perforata vestitur; & ne concrescant latera, optimo naturæ instituto liquor tenuis aquosus impedit; a parte hujus inferiore ad extremum, ubi os in vaginam protuberat, fissura parva transversa seu cervix continuatur; cuius ad partem anteriorem ruga parva erecta longitudinalis ad distantiam dimidii pollicis ab uteri fundo excurrit; a parte posteriore altera omni dote similis huic coincidit; ex his ad rectos angulos ortæ, valvulæ transversales ad latera usque procedunt; hæ acuminibus ferratis deorsum spectantibus, cryptis mucosis fere faveoliformibus (sit verbo venia) interpositis incumbunt, eosque integre obducunt: has valvulas invicem tam arcte applicatas in cadavere inveni, ut specillum parvum argenteum nullo modo immittere potuerim: hac fabrica usa est natura, ut mucum quadam attractione ex cryptis elevaret, versus vaginam determinaret, & ne ad uteri cæcum perveniret impediret.

§. VI. Restat nunc ramus tertius arteriæ spermaticæ qui ad uterum pertingens, in cursu paucis ramis exilibus vicinas ad partes missis, deorsum conversus ad ejus latus sub peritoneum, ramo ascendentì arteriæ hypogastricæ conspicuum, & notabilem valde anastomosin format; in altero latere pari modo omnino distributio facta est: sed ut salvo ordine de-

10 DISSERTATIO ANATOMICO-PHYSIOLOGICA

scriptio procedat, arteriæ hypogastricæ nunc considerandæ sunt. Arteriis ejusdem nominis ortum debent; ad latera uteri perventæ, ramos aliquot ad ovaria sursum emittunt, de quibus egi (Nº. III.), sed rami a. omnium maximi sunt, qui mutuis oculis spermaticis juncti, canalem in utroque uteri late-re constituant; b. ex quo rami plurimi orti per uteri substantiam transversim distributi, variis modis inosculantur; c. hi surculos exiles, numerosos toto fundo spargunt; ex quibus humor fluidus quo superficies humectatur, secernitur; alii ex his producti in cellulari substantia evanescunt, aut in venas continuantur: ex hypogastricis & spermaticis accedunt alii rami minores, qui per substantiam sine conspicuis, fere dixeram ullis inosculationibus procedunt: hi fortasse nutritioni ministrant. A parte superiori & anteriori uteri, duæ fiunt peritonei investientis duplicaturæ, quæ sensim figuram rotundam adeptæ, deorsum & oblique tendentes per annulos musculorum abdominalium transeunt, & in pinguedine juxta clitoridem terminantur; intus ex vasis, subtili substantia cellulari connexis, constant: celeberrimi quidam Anatomici fibras carneas addiderunt; & certe verissimum quod post egressionem ex abdomine clare conspicuae sunt, ut vidi; ante autem numquam observavi, propterea autem negare nolo; ligamentorum vicem praestare putantur, unde & a figura ligamenta rotunda appellantur: eorum vasa sunt, arteriæ quædam parvæ ex cruralibus, a & epigastricis b ortæ, quæ ad uterus appulsæ, copiosissimis ramis per ejus substantiam, præcipue cervicem versus feruntur.

Si quis nunc perspectum habet naturæ modum, quando in corpore humano liquorem viscidum a sanguine secernat, facile credat, mucum cervicis uteri ex iis arteriis esse secretum: nam viarum longitudo, diametrorum parvitas, pars ad quam tendunt, & lymphaticorum ortus, huic opinioni quam maxime favent; adde etiam quod tempore graviditatis, quando earum cursus longior factus est, mucus sit longe crassior &

visci-

* Morg. ad. an. IV. 23. 44. b Eustach. T. xiii. l. 22.

viscidior. Venæ omnino arteriis respondent. Vasa lymphatica prope osculi regionem orta, subter tunicam externam superiora versus repunt. Arteriis nunc descriptis, de venis pauca addere oportet; sed in genere primo notandum est, quod nulla anastomosis arteriæ cum vena, nec venæ cum arteria, inventiatur: sunt venæ spermaticæ duæ sine valvulis, quarum dextra a vena cava, sinistra ab emulgente sinistra procedit; prius quam ad uterum pertingunt, arteriis magis tortuosæ conspiciuntur; ubi licet earum distributio ab arteriarum vix discrepet, attamen numero & capacitate, eas longe superant: cum venis mesentericis venæ portarum, descriptis N°. III. IV., & hypogastricis (de quibus post vaginæ arterias) communicaunt. De vagina nunc quanta brevitatem potero pauca propo-nam.

§. VII. Vaginæ substantia est fibrosa, membranacea, laxa & cellulosa; e fibris quædam secundum longitudinem decurrent, cæteræ circumductæ orbiculares appellantur: tunica interior est interioris uteri continuatio, & papillas nervosas exquisitissimi sensus a parte superiore post urethræ exitum maxime conspicuas tegit; ex his fere omnino constant rugæ longitudinales, ibi ex substantia corrugata ortæ, inter quas lacunæ plurimæ tenuis muci scaturigines ponuntur; ejusdem fere naturæ sunt rugæ quædam transversales irregulares, quas haud male pinxit Verheineus; & ex dictis facile patet quomodo superficies interna humida sit, dilatatio facilis, & in coitu summa voluptas. Clitoridis & corporis circularis cavernosi substantia, peni perfecte similis est. Nymphæ quibus glandulæ sebaceæ papillæque nerveæ, vagina minus fibrosæ, & magis va-sculosæ existunt. Harum partium vasa sunt,

Arteriarum hypogastricarum rami quidam deorsum vergentes, qui per vaginam distribuuntur; ubi anastomoses pauciores, cursus magis incurvatus & intortus quam in utero, & in interna præcipue parte, quasi serpentinus observatur. Venæ ex hypogastricis ortæ, eodem modo venis spermaticis uteri in-

oscu-

12 DISSERTATIO ANATOMICO-PHYSIOLOGICA

osculantur, quo arteriæ spermaticæ (VI.) arteriis hypogastricis; earumque distributio, & per uterum & vaginam est arteriarum simillima: Venis hæmorrhoidalibus internis communicant. Sed præter arteriarum & venarum hypogastricarum ramos aliquos, clitoridi, & nymphis surculi aliquot ex pudicis externis accedunt. Partibus nunc vasique descriptis ad nervos pervenio; hi sunt plexus mesenterici infimi propagines inferiores; surculi quidem ab intercostalibus & sacris, mirifice divisi, per ovaria, tubas Fallopianas, uterus, vaginam, & alias partes sparguntur; tandem tam tenues evadant, ut aciem oculorum optimis microscopiis instructorum eludant; pro motus & sensus instrumentis merito habentur. Si autem de ramis qui a sacris per dorsum clitoridis excurrunt tacerem, sensus ejus acutissimus me proderet.

§. VIII. De mensibus nunc pauca proferam; ubi evincere conabor, si modo potero, ex cognita structura, quomodo menses ex utero fluunt: sed ut res intellectu facilior sit, quædam præmittere haud alienum erit. Vis cordis & vasorum actio, quæ per totum corpus sanguinis circuitum promovent, per uterus propellunt, ad pubertatem usque; tunc & aliæ accidunt causæ; etenim hoc tempore fiunt quædam conspicuæ admodum mutationes in corpore, sanguinis copia uberior, mamæ intumescunt, pube lanugine quadam adhuc vestita, nunc pilii erumpunt, crescunt; novaque, & antea incognita desideria animum jucunde afficiunt, quæ rivos sanguineos (versus partes descriptas dirigunt, & gratissimo quodam stimulo, summaque voluptate titillant: sed en fortis fæmineæ dura necessitas; vix ea expertæ, quin sensim a partibus utero vicinis, impulsi tam insueto renitentibus, & ultra modum distentis, fit dolor præsertim ad lumbos & coxas; accedit & calor a sanguine celeriter moto per minima vasa, nam uteri substantia longe firmior, vasa robustiora, sanguinisque in anastomosis collisio, adhuc maxime resistunt. Quorsum? paucis dicam; sanguis in Arteriis (VI. a.) cui cursus oppositus, & vis in utraque urgens quantum judicare licebit penè, si non omnino æqualis, & nunc a resistentia in vicinis fortis admodum, dissol-

vitur, & attenuatur, i. e. globuli rubri in serosos abeunt, hique in minores, & quo fortior vis, eo dissolutio major; hæc actio in (VI. b.) ulterius perficitur, unde secretio liquidi tenuissimi per (VI. c.) in uteri cavum fit copiosior; at nunc vasa lateralia quæ in cellulis vel interstitiis fibrarum desinunt, majore copia lympham infundunt; unde tumet uteri substantia, & maxime fundus, propter vasorum numerum ibi majorem, & resistentiam minorem, ob cellularem substantiam continuo laxiorem redditam: laxantur vasa, eorumque capacitate aucta, sanguis arterias serferas ingreditur: sed a distentione dolor, & a sanguinis copia pondus sentitur: tantorum antea maiorum infacia timida animula summa anxietate corripitur, nervi vires remittunt, & lassitudo omne membrum occupat: nunc autem licet cor non tam fortiter agat, nihilominus sanguinem continuo propellit; sed remissiore cordis vi, resistentia in venis sensim augetur, & omnium maxime in uteri venis, donec tanta sanguinis copia in arteriis contenta cor distendat, irritet, ad crebriores contractiones stimulet; unde febrieula orta; vasa vero & uteri substantia toto hoc tempore quasi balneo tepido lymphæ fota, minorem longe resistentiam faciunt: hinc sanguis arteriosus purissimus pedetentim per extremitates vasorum in fundum uteri elabens, per inuliebria ad exteriora tendit.

§. IX. Natura vero felicitatis hominum semper provida, nunc hac simplice ratione a malis liberat; ab evacuatione sanguinis enim imminuta distentio, gradatim dolor cessat, mens gaudio perfusa, vel saltem ab anxietate liberata, nervi vires recuperant; unde aucta arteriarum vis, resistentia in venis minuitur, secretiones in aliis partibus auctiores fiunt, absorbetur lympha, fibræ iterum agunt, contrahitur uterus, & desinit fluxus. At vita otiosa, mens a curis & cogitationibus fere libera, novæ plethoræ ansam dant; iterumque ad vasa semel dilatata facilius impellitur sanguis, & minorem resistentiam invenit: hinc eunt, redeunt, vario in variis tempore menstrua: verum ne ea quæ de mensibus proposui simplice assertione stent, observationibus & argumentis quibusdam ordine probare aggrediar.

14 DISSERTATIO ANATOMICO-PHYSIOLOGICA

§. X. Animi pathemata hic valere observationibus Mercati luculenter constat, ipsissimis Auctoris verbis tradam. „Casta, „& pudica educatio & a virorum consortio aliena remorari, „menses assolet, sicut lasciva & venereis imaginibus plena ante- „vertere.” Qua ratione animi affectus in corpus agant, arduum est explicare, quod vero agant extra dubium: nonne attenta phænomenon contemplatio docet, dum mortales ira exardent efficaciam nervorum universim auctam esse, dum metu pallent imminutam, dum libidine flagrant in una parte majorem esse, dum verecundia obruuntur in alia minorem? quicquid autem efficiunt nervi, spiritibus animalibus seu liquori in iis contentis nonnulli tribuunt, & ex eorum motu ac proprietatibus, quas summis ingenii quibus pollent, pro lubitu fingunt, omnia phænomena, æque in physiologia, & in pathologia, quæ alter explicare non possunt, lepide solvunt; sed quod maxime doleo, nemo unquam eorum existentiam probavit: mihi sufficit quod vis nervorum indubitate experimentorum fide constat, licet causam ignoro, quæ nunc latet, & semper fortasse latebit. Sed de his satis ad alia transeo.

§. XI. Nonne testatur fluxus materiæ serosæ menses semper antecedens, ejus secretionem in uteri fundo esse copiosorem; nam materies in vagina secreta visciditate facile distinguitur: imo certe fæminis semper, dummodo menses prima vice fluunt; principio fit materiæ albæ lymphæ similis excretio, dein sanguinolentæ, ac tandem rubri fluidique sanguinis: secunda vice menses aliquibus sine insignibus symptomatibus, & cum parva tantum materiæ serosæ excretione eunt; tunc autem sanguis minus floridus, aut fluidus reperitur; ratio ex dictis (§. VIII.) facilis est. Si mulier peperit, præcedit sanguis velut e victima, & statim congelatur si sana est: ut olim præcepit Medicorum decus Hippocrates, cui in observando nulla ætas parem tulit; ratio apud eundem in alio loco habetur, scilicet quod vasa fluidiora sunt ad menses; nam si resistentia magna, necesse esset ut sanguis fluidior, & eo minus concrescere aptus evaderet.

§. XII. An tumet uteri fundus? omni procul dubio; cau-
fas

fas (VIII.) dedi, nunc rationibus quibusdam ulterius confirmare, & paucis respondere, quæ opponi possint, operam dabo. 1. igitur statim post conceptum innumeris observationibus clare constat, quod fundus uteri cervice longe major tumet & distenditur. 2. iisdem omnino symptomatibus comitus est tumor, quæ mensium fluxum præcedunt; quamobrem mihi ratione concludere video, eosdem effectus a similibus vel potius iisdem causis evenire: neque mihi later quod Clar. Freindius, post Pechlinum, symptomata quæ sub conceptionis tempus ingruunt, femini virili confert: sed pace tantorum virorum, hisce rationibus inductus alia mihi mens est: quod symptomata non prima vel secunda die post coitum eveniunt; sed aliquibus hebdomadibus peractis; uterumque tum aliquantum tumidum esse, observationibus notum est. Si aliquis vult semen adhuc in utero latitare; rogo, cur non cito post coitum symptomata oriantur? si in sanguine, cur ibi moretur tamdiu, quibus signis ejus existentia exploratur & certe dignoscitur? adde præterea nullam seminis proprietatem cognitam tali opinioni favere.

§ XIII. Aliqui autem, & præclari Anatomici, fæminarum cadavera tempore mensium subito & violenta morte extinctarum secuerunt; attamen ne vel unum eorum invenies, qui uterum crassiorem, aut tumidiorem observavit: sic Anatomicorum primus Vesalius ex menstruatione nunquam mihi sese obtulit discriminem; „huic assentiunt Graafius, cæterique sapientiores, qui bene noverunt, judicium non solum difficile, sed de hac re impossibile esse: at maxime rationi mihi consentaneum videtur, quod vis contrahendi quæ in utero aliquando post mortem tam magna inventa fuit, ut mortua matre fœtum excludere potuit (notante Harveo quo nec nomen in medicina honoratus) repetitis vicibus agens (quod dolores parturientium & innumeræ observationes in animalibus moribundis factæ docent) fere quicquid sanguinis aut lymphæ ante mortem inerat, exprimit; viribus arteriarum adjuvantibus, quæ per corpus universim sanguinem ex propriis canaliculis evacuare post mortem valent; ut in omni fere cadavere appetat. Scio Clariſſ. Hallerum adduxiſſe

16 DISSERTATIO ANATOMICO-PHYSILOGICA

se pro uteri tumore auctoritatem Galeni, qui nunquam obser-
vaverat, sed ex theoria conclusit; quod unicuique intuenti fa-
cile patebit. Vesalius ratiocinationi Galeni merito superaddi-
dit, symptomatum menses præcedentium considerationem; dein
observatione opinionem tutare conatus est: sed in eo vir vene-
rabilis aliquantulum lapsus est; ecce vobis historiam sisto.

,, No-
,, bilis matrona, posteaquam variis symptomatibus circa uterum
,, vasaque seminaria diu male affecta, infelice sanguinis obortu ex
,, utero fluxu, cum varia febre interiisset &c. Judices estote lec-
tores an recte fecit, sanis applicare, quæ in morbo chronicu
mortua observaverat. Haud parum lucis rei affert, observatio
Clar. Verheyne in puellæ cadavere, tempore mensium violen-
ta morte extinctæ facta, in qua venas non solum uteri, sed &
vaginæ & vesicæ urinariæ sanguine distentas invenit; i. e. ve-
nas quæ abdomine aperto, remotisque intestinis, in conspectum
sine dissectione veniunt, fibrisque exteriores; nullum vero ver-
bum de uteri tumore, apud eum invenio. Quid sibi velit Doct.
Hallerus dum nolit recedere a Galeni & Vesalii experimentis
nescio, eorum opera summa attentione consului, at incasum,
nulla experimenta habentur.

XIV. Hactenus de utero virginico præcipue ratiocinatus sum; ab eo paucis differt uterus foeminæ quæ peperit: differentias has esse præcipuas, comparatione in cadaveribus facta didici: mag-
nitudine virginum aliquantum superat; substantiam minus fir-
mam habet; valvulae cervicis obliterantur; capacitas & cervi-
cis, & fundi major est; osque ejus non tam arcte connivet; &
denique vasa magis tortuosa: maxime autem inductus sum cre-
dere, ea taliter, & tam anfractuosa numquam extitisse, quam
van Hornius, in prioribus duabus tabulis, & post eum Graa-
fius, pinxerint; nisi post injectionem valide impulsam, aut
fortem inflationem; & quantum inde facies naturalis mutatur,
testantur illi, qui summa felicitate has artes exercuerunt, can-
dideque & sincere de iis pronunciarunt. Malo vero omne physiologiaeque detimento ex tali structura ratiocinati sunt aliqui.
Ex his & ante dictis facile intelligitur; cur mulieribus fluxus
mensium facilior, cur mucus cervicis uteri saepissime in hyda-

ti-

ties degenerat; & plurima alia quæ brevitatis studium recensere vetat.

XV. Summus autem, & sapientissimus rerum opifex, ute-
rum tributum lunare solvere destinavt; non ut venenum intus
in corpore muliebri contentum foris exeat; sicuti multi falsis
dogmatibus, aut fabulis Plinii, credule nimis inhærentes, exi-
stimatorerunt; sed ut aptum evadat, non solum ad recipiendum,
fovendumque semen, verum ad fœtum enutriendum, donec
satis viribus pollens, vitam propriam, injuriasque externas su-
tinere valeat. Semen a viro in coitu emisum, pro causa fæ-
cunditatis, uno ore omnes fere agnoscunt; eorum autem aliqui
subtilius potius quam vere, de aura seminali differunt: semen
nunquam ad uteri cavum pervenire afferunt; apud Riolanum
historia habetur, fæminæ cujus nymphæ & quatuor caruncu-
læ, tam arcte coaluerant, ut vix cuspidem specilli foramen ad-
mitteret; nihilominus fæminam concepisse inveniunt: fateor
hanc, & alias historias, (quarum plurimæ apud Schurigium)
esse veras, neque intellectu difficiles; sed qui exinde auram se-
minalem credunt, plus eorum fidei, quam rationi tribuo: poë-
tarum princeps poëtica licentia utitur quando de equis lepide
narrat; quod

Ore omnes veræ in Zephyrum stant rupibus altis,
Exceptantque levis auras: & saepe sine ullis
Conjugiis vento gravidæ (mirabile dictu)

Sed quod tu lector humanissime maxime mireris, auctoritatem
constat, fæminas quasdam hirsutas peperisse, sine viris; nec tan-
tum, sed quod horresco referens, virgines insontes nullo cum viris
commercio habitio, somnio nonnullas, balneo tepidæ aquæ alias,
matres fuisse factas: & ut major sit dictis fides, alias addunt histo-
rias, ubi agnoscunt coitum peractum, nullo verum semine ejecto;
in aliis flatum ex pene emisum: pudet autem ulterius avias, &
insomnia auctorum recensere, omni refutatione indigna.

XVI. Statuo igitur nullam fæminam unquam gravidam fuisse
factam, secundum naturam, sine seminis in utero receptione
(nam de ineffabili mysterio conceptionis virginis non loquor:)
sed quomodo recipitur apud nullum auctorem invenio; sunt

18 DISSERTATIO ANATOMICO-PHYSIOLOGICA

qui attrahere sentiunt; alii quod manibus quasi prehendat; non nulli quod obviam eat; nec defunt qui majore specie recti sugere autumant; omnium vero postremi, cæterisque longe pauciores, qui glandem penis tempore coitus os intrare credunt: has opiniones lectoris judicio relinquo; & ut melius partium descriptarum functiones patescerent, de coitu dicere statui; omnes enim plus minus, huic contribuunt: primum omnium vero de musculo fundi uteri, nam in eo haud parva spes sita est; licet anatomici longe celeberrimi ejus existentiam, aliquo modo negaverunt: musculum colore & structura exacte cæteris corporis similem, observatorum nullus notavit; attamen fibras rubras paululum ab invicem remotas extitisse, omnes fere consentiunt; neque multum de dispositione discrepant; quidam orbicularis appellant; aliis circulares magis placet nominare: fibrum existentia auctorum consensu stabilita; de loco & modo quo in puerperis inveniuntur (nam de his loquor) & quæ earum actio dicendum est. Non tantum in ea parte sunt cui placenta adhæret, sed per totum uteri fundum: quod validæ vi contrahendi præditæ sunt, his qui obstetricium exercent notissimum est; si enim post partum, ad auferendam placentam manum introducunt; & ore uteri superato altius digitos immittunt, resistentiam a contractione harum non facile superandam inveniunt; dilatatione autem digitis facta, toto tempore dum placentam ab utero liberant, fibras evidenter sese contrahentes, & manum comprimentes sentiunt: & si tunc dolores ingruunt, (res post partum haud infrequens) eo fortius agunt; ut plus vice simple expertus sum. Si quis negat contractionem propositam his fibris deberi; rogo ut mihi ostendat, quibus aliis ascribenda sit. Sed Boerhaavius quidem ævi sui, & hujus Academiæ insigne ornamentum, (si fides Hallero) meras lacunas, fungosas, tanguine plenas eas appellavit: hocque argumento-musculares esse negat, „ Hæ enim ea ratione distendi non possunt, nisi tanta vis ipsis inferatur, ut postea nequeant se in priorem brevitatem restituere „ opinionem primam anatome & contractio refutant; posteriorem consideratio muscularum abdominalium; aliquibus enim fæminis gracilibus, quando utero gerunt, mire disten-

distenduntur: cito vero post partum, ad priorem fere statum redeunt: neque minus opinionem viri immortalis redarguit, subita distentio constrictoris vaginalis tempore partus, ejusque postea restitutio. Satis igitur adhuc musculis in puerperis congruunt; quomodo se habent, in utero foeminæ non prægnantis, quisquis facile intelligit, qui magnitudinem fundi uteri nono mense gestationis, cum mulier ad partum appropinquat, cum magnitudine ante conceptum comparat; nam quo minor uteri fundus, eo propiores & confertiores fibræ existunt: unde spero, quas dissitas antea fibras musculares esse probavi, nunc arcte invicem applicatas musculum nominare fas erit.

§. XVII. Pergo igitur de coitu quædam observare: minime vero opus est, omnia veneris irritamenta, nullis legibus aliquando cohibenda, vel summatim attingere: aut quomodo aliæ corporis partes afficiuntur, dum foeminæ coitum appetunt, aut exercent, describere: proposito sat erit actionem quam paucis verbis potero absolvere; summa ope nitens, ne aliquid pudicitia indignum irrepatur. Principio igitur pono, quod in nulla actione est animi vis in substantia cellulari manifestior; vix enim desiderium occupavit animum, quin illico fibræ, aucta nervorum efficacia, sese contrahant; vasa sanguinea interposita comprimant; & sanguini circulanti fortiter resistant: sanguis vero hoc tempore impetu concitatiore in has partes fertur; resistentiam in arteriis superat, & in venas pervenit; ibi autem propter compressionem inæqualem, summa est resistentia, quam superare non potens, qua data porta ruit; cavernulas clitoridis, corporisque circularis spongiosi implet: unde distenduntur cellulæ, turgentque clitoris, & corpus cavernosum; eodem fere tempore, nec modo diverso, sinus uteri & vaginalis sanguinem accipiunt, tument, vicinia premunt; hinc aucta resistentia: a vaginali autem distentione, mucus ex lacunis exprimitur; secretio materiei liquidæ perspirabili similis augeatur: papillæ nerveæ clitoridis, nympharum, & præcipue vaginalis, a humiditate nunc acutiores redditæ, a frictione valde excitantur, mirisque modis animum afficiunt, ex quo animus maxime efficaciam nervorum intendit; voluptate enim au-

20 DISSERTATIO ANATOMICO-PHYSIOLOGICA

Et a, effrenato quasi impetu agit, rigidiores tumidioresque fiunt partes, donec ad gradum summum pervenit: natura autem voluptatem tam intensam mortalibus durare noluit; nunc enim a nervorum fortasse compressione, fibræ musculares uteri contrahunt se, fibræ cervicis os ejus aperiunt, & mucum ex cryptis exprimunt; dum hæ os apertum tenent, musculus fundi uteri latera propius adducit, partem anteriorem & posteriorem ab invicem removet; figuram rotundam adipiscitur uterus; unde valde aucta capacitas, sed nunc vacua vicem emboli supplet; semenque viri muco cervicis mistum fugit, adtrahit; fibræ longitudinales & orbiculares vaginæ eodem tempore agunt; unde effectum quod præstant, sine descriptione facile intelligitur; simulque ex dictis patebit, cur fæminæ licet fere omnino coalitis vaginæ lateribus concepere: pro exemplo sit historia, Phil. Trans. abr. 111. 216. ubi auctor narrat, vaginam ex partu laborioso concretam fuisse; attamen agnoscit, quod menses frequenter fluxerant; & magnum concipendi desiderium mulierem tenebat: res ulterius confirmatur, observatione Anatomici & sui temporis longe Clarissimi, quod semen in sinum muliebre injectum, a cervice rapitur, & exsurgit: semen vero in utero receptum, ore clauso fibrarum orbicularium actione, retinetur; calore & admistione liquoris fundi attenuatur: facilis autem ex utero ad tubas est aditus; collabente enim aliquo modo utero, pars seminis in eas transit. Tuba vero ope adductoris (iv), & propria fibrarum actione, ei parti ovarii applicatur, in qua ovum maturatum hæret: si vero eodem tempore duo sint ova matura, in utroque ovario unum, tunc binæ tubæ modo antedicto, ad ovaria adducuntur. De ovariis & ovis (111) dixi; restant igitur dicenda, quæ tempore coitus fiunt; quomodo ovum ex sinu liberatur, perque tubam, ad uteri cavum transit. Ex dictis fatis constat, tempore coitus sanguini in utero circulantib[us] magnam esse resistenciam; atque ex ea patebit necessitas celerioris transitus, per ovaria, tubas fallopianas, vesicam urinariam, & partes vicinas;

simul-

simulque auctiorum secretionum, his in partibus: inter præcipuas vero secretiones, quæ in ovariis fiunt, est liquoris sinuum: adde quod plurimis observationibus manifestum est; simum aliquem in uno ovario, aliquando in utroque cæteros magnitudine superare: ratio vero dictat capacitatem vasorum secernentium ampliorem esse, in sinu maximo: sed ceteris partibus resistentia erit fere in ratione reciproca capacitatis: da nunc magnitudinem sinus omnium maximi esse æqualem 4, alterius 2, tunc resistentia in priore erit ad resistentiam in posteriore, ut 2 : 4; secretiones vero erunt in ratione reciproca resistentiarum; aucta vero continuo capacitas a quantitate secreta; quæ est ratio incrementi capacitatis, eadem erit secretionis, & vice versa: hoc autem tempore fimbriæ tubarum expansæ ita ovariis applicantur, ut centrum tubæ porulo, seu meatus, qui ad sinum dicit omnino respondeat: distentio a humore intus in sinu contento elevat ovarii membranam, irritatque substantiam: fimbriæ autem tumorem circum expansæ, nunc sese contrahentes premunt; & sic contractionem propriæ ovarii substantiæ, ad superandam meatus resistentiam adjuvant: binæ hæ causæ aperto tandem meatu, agere pergunt; donec omnis humor sinūs, simul cum ovo in tubam hac parte fatis capacem propellitur: semen vero virile ab actione uteri, & tubæ, huc appulsum, & humore tubæ inquilino mistum, internam superficiem lubricat; ex his & sinūs tenui mucco, facilis fit parvi admodum ovi transitus in uterus contractione fibrarum tubæ, quæ ab aliquibus merito & eleganter œsophagi actioni in deglutitione comparatur. Ovo ad uterus nunc deducto, oris clausura retinetur; si enim hiat, genitura intus non manet, sed rursus foras effunditur; ut Hippocrates notavit: & artis obstetriciæ scriptores pro certo conceptionis signo venditaverunt, si post coitum semen intus retinetur, & os clausum dum explorant, inveniunt; præeunte sene divino Aph. V. LI. Ex fibris in substantia cervicis positis, clauso utero, ovum undique humore circumfuso foyetur. De utero impregnato &

22 DISS. ANATOMICO-PHYSIOLOGICA INAUG.

partium descriptarum pathologia præstat tacere, quam pauca dicere; nam in animo tantum habui legibus Academiæ obtemperare: & cum ea quæ scripsi recenseo, vestramque in studiosos benevolentiam Viri Celeberrimi mecum revollo, sperare inductus sum, vos non tantum brevitatem, sed & menda, quæ incuria, aut ingenii tenuitas fudit, condonaturos; sique vobis grata, præmium laboris fero, non ultra solicitus.

F I N I S.



... quod est quod videlicet
temporalia sunt. Quae quidam dicitur in tempore sibi
in aliis dicitur in aliis tempore. Tempore vero
est idem tempus.

CONTRARIO TEMPORIS
EST VITIOSUS. ET VITIOSUS
EST CONTRARIO TEMPORIS.

CONTRARIO DEO EST VITIOSUS.

Et vitiatus est tempus.

TEMPUS EST VITIOSUS.

Tempus est vicius.

